

Noel, Michel - candidat / Bordenave,
Toussaint - président. - De abscessu
abdominis et effusione ab erosione
vermium

1774.

*Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°15*



CELSISSIMO AC POTENTISSIMO
CAROLO-JUSTO DE BEAUVAU,
 SANCTI IMPERII PRINCIPI,
 HISPANIÆ E PRIMA CLASSE MAGNATI,
 REGIS ORDINUM EQUITI,
 EXERCITUUM EJUS LEGATO GENERALI,
 PRÆTORIÆ COHORTIS PRÆFACTO,
 URBIUM BARODUCI
 ET LUNEVILLE GUBERNATORI, &c. &c.
 UNI E QUADRAGINTA VIRIS ACADEMICIS.

Offert, dicat & consecrat in obsequii & grati animi pignus
 MICHAEL NOEL, Regii Chirurg. Paris. Collegii
 Candidatus.



DE ABSCESSU ABDOMINIS
ET EFFUSIONE AB EROSIONE VERMIUM.

T H E S E S
ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

I.

OMNES ferè morbos hominem opprimentes solers Chirurgiæ sublevat Genius. Circà illos qui corpus externè afficiunt, amicamque operantis Chirurgi manum desiderant, non tantùm versatur Ars salutaris; sed augustos hosce limites prætergrediens, morbis etiam internis audaci sapiùs & felici operatione efficacem Medicinam præstat.

Intrà abdomen enasci vermes non rarum; medicamentis internis ut plurimùm cedunt: at horum virtutem eludunt quandoque, variasque affectiones procreant quæ salutarem Chirurgi medentis operam requirunt. Jam progeniti in intestinorum vel in ventriculi cavo, nutriuntur & crescunt vermes viscerum detrimento; horum parietes delibant, erodunt & perforant; hinc abscessus, humorum effusiones, fodicantis inimici transmigratio. Licèt aliis sint hi morbi rariores, quandoque existere sat est, cùm diris sæpè stipentur accidentibus, ut attento animo perscrutentur. Quò enim periculosius, cognituque difficilius malum minatur, eo ardentius de ipsius diagnosi & de curâ inquirendum. Jàm verò ut nostro proposito faciamus satis, partium in abdomine conten-

tarum expositionem anatomicam breviter delineare opera pretium ducimus.

I I.

Partes abdominis, in continentes & contentas dividunt Anatomici. Illæ vel communes sunt, ut Cutis & Membrana adiposa; vel propriæ, ut Offa, Musculi & Peritoneum. Musculorum quinque paria vulgò numerantur, nempe in uno quoque latere; Obliquus descendens, seu major; Obliquus ascendens seu minor, Transversus, Rectus & Pyramidalis. Priorum tendinibus implexis linea conficitur alba, in cujus medio Umbilicus. Musculis Transversis adhæret Peritoneum, tenuis membrana, totum interius abdomen & pleraque ejus viscera investiens.

Inter contentas, Omentum, Ventriculus, Intestina, Mesenterium; Hepar cum vesiculâ fellis, Lien, Vesica urinaria, apud mulieres Uterus, &c. recensentur. Ex hisce partibus, in ventriculi vel intestinorum cavo à vermibus præsertim appetuntur domicilia.

Ventriculus, amplum viscus, membranaceum, Hepar inter & Lienem sub Diaphragmate obliquè situm, utriculo lusorio consonat; in ipso facies anterior & posterior, quæ, pro plenitudine ventriculi, in superiorem & inferiorem mutantur. Illius orificium duplex annotatur; *sinistrum* altius, sive *Cardia*; *inferius dextrum*, sive *Pylorus*, ubi valvula ventriculum claudit. Tunicis quatuor ille gaudet: à peritoneo prima; secunda muskulosa, cujus fibrarum quasi inextricabilis est ordo; quædam enim circulariter disponuntur, aliæ inter utrumque orificium rectæ decurrunt, quædam deniquè propè orificium superius obliquè decussantur. Tertia densa, albicans, innumeris vasis sanguiferis perfusa, nervosa dicitur, quæ cum quartâ seu membranâ villosâ rugas interiùs efficit; hæc tenues meatus ubique patentes, totidem vasorum exhalantium vel resorbentium oscula pro villis exhibet, inter quos glandulæ minores annotantur. Ventriculus alimenta recipit, mutat, concoquit, levi pressione in minimas partes dividit, invicem miscet, ad digestionem disponit, versùsque intestina expellit, in quibus perficitur hæc actio.

Canalem longum, flexuosum, membranaceum à ventriculo ad

A ij

anum usque extensum efformant intestina; quæ septies homine longiora, mirabiles dant circumvolutiones, ope mesenterii, vertebris lumborum liberè connexas. Sex designantur intestina, quorum tria, Duodenum, Jejunum, & Ileum, tenuia; tria verò Cæcum, Colon & Rectum, crassa dicuntur. Conniventibus valvulis prætermiſſis, eadem ferè intestinorum ac ventriculi structura. Arteriæ & venæ mesaraica; nervi ab intercostalibus progeniti; vasa lactea sicut & limphatica, substantiam eorum perreptant. Intestina tenuia cibos recoquunt, secretionem chyli perficiunt, residuum digestionis versùs intestina crassa motu peristaltico propellunt, quæ dein collectas fæces suo tempore excludunt.

I I I.

Licet cum germine aut vermium ovis nascamur; licet cum fluido quem inspiramus aere in vasa thoracis irrepant ova; licet alimentis identificati vermes intus sobolescant, parùm interest. In omnibus ferè corporis partibus generantur; sed in ventriculo & intestinis præsertim nascuntur lumbrici, qui pro diversâ specie, diversis nominibus designantur. Quidam, nempe Stronguli, oblongi necnon cylindrici tenuia vel crassa intestina sæpiùs vexant; Aſcarides alii breves & cylindrici intestinum rectum pro sede præcipuâ habent. Tania dein longissimus planusque tenuiorum intestinorum præsertim incola, varias intus edit strages & pylorum quandòque dilacerat. Alios etiam alii addunt vermes nomine cucurbitanos, quos taniæ disruptæ particulas esse breves fatentur, quosque ideò inter varias vermium species non admittendos censemus. Stronguli potissimum malorum, de quibus modò dicturi sumus, series procreant.

Omne vermium genus, animal valdè simplex, cum plurimas partes in cæteris ad vitam necessarias aut non habeat, aut minùs compositas habeat, constat utique canali longo circulis transversis intersec-to. In corpore mamillæ distinguntur; hujus extremitates acutæ apparent. Cerebrum, cor, pulmones aut nulla, aut minùs conspicua; vasaque tantæ exiguitatis, ut nisi juvante microscopio sensibus desiderarentur. In ore tuba aculeata annotatur quâ per membranas intestinorum infertur, easque corrodunt & perforant.

Quandòque ex umbilico puerorum post diros cruciatus egrediuntur vermes, quos in hac parte peculiare voluerunt permulti, sed hos in intestinis progenitos post erosionem intestinorum & tegumentorum foràs erumpere, observationes demonstrant (1). Forestus lumbricos quatuor majores, aditu sibi propè umbilicum facto ex abdomine mulieris vivæ erumpentes, non sine admiratione se vidisse refert (2). Effusionem alimenterum in abdomine, mortemque indè subsequutam, eroso à vermibus ventriculo, apud Hildanum narrat Craffius (3). Testatur etiàm Paræus (4) ex hisce effusionibus ab erosione subsequantibus plerosque ægrotantes de medio tolli.

Res verò meliùs quandoque succedere, observationes sequentes demonstrant.

Tumefacto ventre dudùm ægrotabat puella. Versùs umbilicum urget malum, oritur tumor fluctuans, sequitur mox suppuratio, & paulò post acerrimi doloris sensum strongulus spontè exit, morbique causam minuit, uti nuperrimè observavit Clar. Actùs Præses.

Mulier quæ longè antèa ligone vi magnâ in abdomen impacto percussa fuerat, varioque tempore vermium per os aut anum ejectionibus obnoxia, acerbissimis, fixis & pungentibus præsertim in inguine dextro doloribus cruciatur. Deindè tumor ab umbilico ad partem dolentem subnascitur: applicantur maturantia, & die tertiâ cutis livor imminet intentat gangrenam: tumor aperitur: magnâ puris subnigri & fœtenti copîâ per aperturam elapsâ, duodeni vermes novem unciis oblongi, quorum tres mortui, cæteri verò viventes, emigrant; quod quidem ægrotanti summo levamento fuit. Triduo post adhibitis intùs Anthelminticis, rursùm per ulcus, vermis ejusdem longitudinis egressus est. Amissâ licèt substantiâ, nihil de intestinorum functionibus detractum, brevique languescens è morbo convaluit.

(1) Vide Andri, *Traité de la Génération des Vers*, pag. 112, Art. 2, Chap. 4.

(2) Libro VII. Obs. 35.

(3) Craffius. Obs. Chirurg. Centur. 2. Obs. 71.

(4) Liv. 20. Chap. 4.

Paucis abhinc annis in cadavere viri per glandis plumbeæ emissionem è catapultâ eneæti, propè quadraginta vermes qui intestinorum latera exederant & inter mesenterii membranas serpsérant, comperimus. Dùm ille vitâ fruebatur, umbilici regionem acerbissimis doloribus cruciari alto de corde gemuerat.

Paulò post in praxi duo sequentia observavimus. Puella octavum-decimum annum agens, in nosocomio Nanceii decumbens, postquàm sævos in abdomine dolores experta fuisset, sex vermibus oblongis ex ulcere umbilici, cum materiâ subflavâ tandem rejectis, valetudinem integram recuperavit.

Adolescens ejusdem ferè ætatis vix è febre verminosâ necnon putri quæ tùm in Lotharingiâ vigeat epidemicè, evaserat, cum jam doloribus in abdomine sævis laboravit, membrorum convulsio, stercoralis etiàm materiei effusio subsecuta sunt. Dein prominente extùs tumore, cum in aliorum abdomine eâdem epidemiâ extinctorum, verminosas viderimus effusiones, eò libentiori animo hîc incidere statuimus. Abdomine aperto, curationeque ad morbum accommodatâ ager sanus valuit.

I. V.

Ex observatis patet, à lumbricis erodentibus ventriculum aut intestina, oriri abscessus & effusiones, quorum curatio eò difficilior, quòd malum occultè serpit & ingravescit absque certis symptomatibus; at tamen ut tutò curari possit, necesse est ut indubitata hujusce instituaturs diagnosis. Equidem color faciei pallidus, oculorum scintillatio, narium pruritus, dentium stridor, halitus difficilis, salivæ profluvium, anxietas præcordiorum, ventriculi dolor, nausea, singultus, vomitus, horror, appetitus quandòque depravatus, vorax quandòque, inani ventre colicus dolor qui sæpiùs alimentis repleto placatur, fæces indigestæ & albicantes, in febre, animi defectio, vertigo, convulsio, stupor inter signa vermium existentiam indicantia annumerantur. Hanc demonstrabunt vermium ejectiones per os aut anum. His si succedat dolor constans & perpetuus in locis pungens fixis, qui longè ante tumorem deprehenditur, dùm è contrâ in aliis tumoribus præsertim inflammatoriis dolorem tu-

mefactio præcedit, vel saltem comitatur : tunc irritatio , inflammatio & erosio perimefcendæ. Partibus abscessis aut erosis, intrâ abdomen disseminantur vermes ; materiæ intestinales alteriusve generis cùm vermibus per abdomen effunduntur, & effusæ, lethalem committunt gangrenam, quam mox indicant anhela sitis, febris ardens cui modò succedunt pulsus debilis, parvus, sudores frigidi , totiusque abdominis distensio. Cæterùm plus minùsve læditur intestinorum substantia pro quantitate & specie vermium : undè concludendum est strongulos ascaridibus cucurbitanisque esse exitiosiores. Malum hoc à ramicibus vix posse distingui frustra objicietur ; quàm inter se discrepent , evincit horum comparatâ inter se natura.

V.

Cognitâ lumbricorum existentia , pro variis symptomatibus, & mali gradu, varia opponenda sunt auxilia. Alia causis obstant in vermes artis tela vertendo ; alia secundariis affectibus medelam afferunt. Illa intùs adhibentur : talia sunt mercurialia, acida, amara, oleosa, necnon alia anthelminticorum species, quibus cathartica aut emetica feliciter quandòque adduntur. Alimenta etiam congrua cautè præscribenda. Vermibus immediatè vim inferunt hæc remedia ritè adhibita, hos enecant, foràs expellunt, sicque mala ab eorum præsentia & actione subsecutura præcavent. Præter hæc remedia, externè applicari possunt fel bovis, oleum absinthii, ruta, pulvis aloes, cumini, centaurii, nicotiana, colocynthis. Si his non cedant vermes, malique labem ulterius propagent ; si inflammatio abscessusque extùs appareant : tunc tumor maturantibus operiendus, ut perceptâ fluctuatione hunc incidat Chirurgus. Sic erosio & effusio imminens vitantur vel saltem minuuntur, dùm aperto claustrò foràs prodeunt vermes, evanescitque strages quam vermium, ichoris, stercorisve diuturna stasis brevi esset paratura. Absint hîc caustica ; scalpellum præ cæteris adhibeatur. Apertos hoc modò tumores, unguento digerente simplici aut pro re natâ, cùm antiputridis, balsamicis, amarisque accommodato, injectionibusque idoneis curare licebit. Evacuatis vermibus, liquoribusque effusis, feliciter ut plurimum brevique sanatur erosio. Hoc probant exempla antea memorata, plurimæque observationes in Auctoribus consignatæ. Remediis ergò internis primùm

debellandi vermes ; fin verò infestum ens nec moriatur , nec à corpore expellatur , illi damnum affert : undè omni aliâ curationis ope invalidâ , si adsit tumor , audaciter manum ferro instruat Chirurgus , & tumor incidatur arte.

HAS THESES , Deo juvante , & præfide M. TUSSANO BORDENAVE , Artium & Chirurgiæ Magistro , Scholarum Professore Regio , Regiæ Chirurgiæ Academiæ Pro-Directore , Collegii antiquo Præposito , è Regiâ Scientiarum Academiâ , Academiarum Rhotomagensis & Florentinæ Socio , tueri conabitur MICHAEL NOEL , Bayõneus-Tullensis , Artium Liberalium & Chirurgiæ Magister Mussipontanus , Theseos Auctor.

P A R I S I I S ,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati tertîâ Septembris , Anno salutis 1774 ,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis MICHAELIS LAMBERT , Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi , viâ Citharæâ 1774.